



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Legatio Marchionis Lavardini Romam, Ejusquè Cum
Romano Pontifice Innocentio Undecimo Dissidium**

Sfondrati, Celestino

[S.l.], 1688

22. Refelluntur, quæ de sacro in Gallijs fædere Pontifici opponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62944](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62944)

tibi quorum Regum & quàm infelicium exempla Ludovico nostro inculcantur? Ludovici XII. in Julium Pontificem conatus, *peffimum confilium, & Christianiffimi Regis nomine prorsùs indignum* Spondanus (a) vocat: nec aliud Coeli judicium; Ludovicus enim quinquennio post infelici morbo abreptus est. Abfit à me, ut regnanti Ludovico pares exitus velim. Comparentur Principes, qui Pontificem venerati sunt, quique persecuti; Constantinus videlicet, Theodosius, Pipinus, Carolus Magnus, Philippus II. cum Justiniano, Henricis, Fridericis, Philippo Pulchro, aliisque, & continuo, patebit, quorum virtutes, & fortunam precari oporteat Christianissimo Regi.

XXII. *Decimoséptimò: (b) Opponit Pontificum curas: Qui pretextu, inquit, Religionis rebellium factiones contra legitimum Regem Henricum IV. adjuverunt, id verò nemo unquam probavit.*

R. Ve-

(a) *Spondan. ad ann. 1510.*

(b) *Fol. 8.*

Rz. Verum est, nullum unquam Calvinistarum probasse, quæ pro Religione in causa Henrici IV. Pontifices egerunt; nec miror ea quoque non probari Lavardini Advocato, qui singulis ferè paginis Calvinum redolet. Si rebelles vocandi sunt, qui non prius Henrico IV. subdi voluere, quàm hæresin exueret, veramquè Religionem profiteretur, hæc planè culpa aut potius calumnia non tam Romanum Pontificem, quàm præcipuas Gallici Regni familias, ac maximè Clericum Gallicanum involvit, qui nunquam adduci potuit, ut Principi Calvinistæ subderetur. Ipsa Gallia Pontifices imploravit, & præsertim Sorbona, ne pateretur Calvinistam regnare. Audi epistolam Perandæ ad Patriarcham & Legatum Cajetanum anno 1592. die 16. Aprilis. Sorbona hujus sententiæ est, urgetque Pontificem, ut ipse Regem Gallie pronuntiet, declaretquè; alioquin Gallia conclamata est, expersq; remedij. Et hanc potestatem Pontifici Regem declarandi rationibus planè evidentibus, mul-

multisq; exemplis ostendunt, imò adjungunt: ubi Pontifex Regem pronuntiaverit, isq; in Gallia denunciatus fuerit, continuo à Clero, & ab omnibus Catholicis receptum iri. Vides quæ sententia tunc fuerit Cleri Gallicani, omniumq; in Gallia Catholicorum; Galli ergo Pontifices, non isti Gallos impulere.

Cæterum cum in negotio fœderis Gallici multa contigerint, quæ nunquam Pontifices probârunt; breviter rem totam evolvam, ut tantò clarius verum à falso distinguas.

Sciendum igitur est, cum edicto *Anni 1576.* Henricus III. Gallix Rex Calvinistis libertatem & exercitium Religionis totâ Galliâ, aditum ad omnes dignitates & honores, paritatem Judicum in omnibus Parliamentis, octo urbium possessionem securitatis causâ, aliasquè conditiones Catholicæ Religionis planè funestas permisisset; Catholici tam iniquis pactis offensi novum fœdus jurârunt fidei tuendæ. Fœderis caput Henricus III. Gallix Rex.
Leges

Leges quas foedus complectebatur, Gregorio XIII. oblatae, rejectaeque sunt; quamvis enim haeresin deletam vellet, non tamen factiones Regno fatales probabat. Audi Spondanum: (a) Gregorium huic foederi suffragatum esset neque scripto proditum fuit; neque ullo alio argumento probari potest: quin imò ne tum quidem, cum Guisius aperte se detexit, ne dum hoc tempore, Pontificem foederi favisse, sed semper Patrem se amantissimum & fidum Henrici Regis amicum se exhibuisse, vel ipso teste Serrano, aut ejus Continuatore utroque haeretico, ac proinde Pontificum hoste aperte intelligitur, cum ad finem anni 1584. scribit, oblatum tunc fuisse foedus Gregorio, ut illud approbaret tanquam pro Ornamento & propugnatione Ecclesiae Romanae conditum; verum Gregorium annuisse quidem, ut contra Haereticos ageretur, at nequanquam motus illos populares approbare voluisse, sicque nuntios inanes dimisisse.

Certum

(a) Spondan. ad ann. 1576. n. 7.

Certum igitur est, etiam testimonio Hæreticorum, initia foederis Gallici à Pontifice improbata esse; eodemque Spondano teste, Principes Catholici foederis nunquam à Gregorio XIII. impetrare potuerunt, quamvis ardentissime precarentur, ut Regem Navarræ, eundemque Principem Duces Calvinistarum anathemate feriret, (a) Sixtus, qui Gregorio successit, Henricum quidem Navarream Communionem fidelium interdixit, Regnoque inhabilem pronuntiavit, nunquam tamen permoveri potuit (quamvis Hispaniæ Rex Philippus ardentissime, & cum minis urgeret) ut foedus cum Hispano adversus Henricum jungeret, idque Spondanus (b) testatur. Cum tandem Henricus nollet hæresim ejurare, & maxima Galliæ pars, præsertim Clerus Gallicanus Catholicum Principem vellet; nec leges Regni fundamentales aliam, quam Catholicam patrentur; Pontifices egregie partes suas egisse

(a) Spondan. ad ann. 1585.

(b) Spondan. 1590. n. 5.

egisse, ut Henricum metu saltem compellerent ad hæresin deserendam; responditq; effectus: quippe Henricus coronæ anxius maluit hæresin, quàm Regnum amittere, seq; Catholicum professus est. Continuo sublata discordia, placati Pontifices, & Gallia Henrico subiecta. Si ergo cessassent Pontifices, neq; oportune tantis malis remedia applicassent, & Henricus, & uterq; Ludovicus, Filius videlicet Neposq; & tota denique Gallia, Regum exemplo hæresi perijissent: si ergo fateri volumus, Galliam Catholicam Pontifici debemus, solisq; hæreticis dolere hoc potest.

XXIII. *Decimo octavo: (a) Inauditum esse, conqueritur, ut Legati Principum non auditi, non excepti fuerint, nisi prius omnia Pontifici cederent; non vi, non imperio cum Principibus agendum, sed amicis conventionibus: quoties & Hispania & Italia Principes immunitatem Ecclesiasticam violaverint, non ideò tamen eorum Legatos, aut non agnitos, aut non admissos esse.*

R. Alia

(a) Fol. 8.